Ad publicam

EXPLORATIONEM

juventutis litterarum studiosae

in

SCHOLA MELDORFICA

DIE 25. M. MART. HOR. MAT. IX, MDCCCXXXIX

suscipiendam

et ad ultimas

duorum eius Scholae alumnor. orationes

eodem et die et loco h. III. pomerid. audiendas

invitat

H. Dohrn,
Philosoph. Doctor et Scholae Meldorficae Rector.

Wilhelm Heinrich Kolster

Insunt.

1) Dissertatio, qua orationem quartam in Catilinam non esse a Cicerone abjudicandam, demonstratur, auct. Guil. H. Kolster, Phil. Doct. et Schol. Meldorfic. Conr.

2) Annales Scholae Meldorficae inde ab initio m. Apr. superioris usque ad tempus Paschale hujus anni.

ITZEHOAE.
TYPIS DESCRIPSIT P. S. SCHOENFELDT.

MDCCCXXXIX.

1839

Ubi primum post longam oblivionem turpissimumque multorum seculorum soporem latinarum emersit studium litterarum, Cicerone non alius scriptor magis ceperat hominum studia: hunc fovebant, hunc in sinu gestabant, hunc summis ferebant laudibus ejusque scripta, si quae bibliothecarum obducta situ et squalore jacuerant, laeti in lucem efferebant multisque exemplis multiplicabant. Neque postea imminutus est hic hominum ardor et admiratio, sed, si unus aut alter alium magis sibi probari diceret antiquitatis scriptorem, Ciceronem optimus quisque laudibus extollere, Ciceronem imitandum juventuti litterarum studiosae certatim proponere, hujus admirabilem gravitatem, doctrinam, subtilitatem, humanitatem denique ad sidera tollere, reliquos omnes prae hoc mirifice contemnere. A quo ardore etsi aliquantum remisit posterior aetas, ita ut reliquis etiam scriptoribus suum cuique dederit locum, Ciceroni tamen nullum aequavit, hunc quasi fontem quendam perennem latini sermonis coluit et adolescentibus commendavit. Quare si jam quis harum rerum minus gnarus animo concipiat, in hujus scriptis edendis, emendandis, illustrandis denique et pertractandis ita versatos esse viros doctos, nostris ut nihil fere relictum sit hominibus, is causam susceperit satis eam quidem speciosam, a vero tamen eheu quantum absit! Quam multis enim locis viros doctissimos videmus dubitare et inter se discrepare, nova postulare praesidia et adjumenta, priusquam decernatur; neque illud fieri in rebus minoris momenti, verbis singulis, ambigue dictis, manifesto depravatis, sed de totis dubitari operibus genuina an supposita sint, Ciceronis ingenio, gravitate, disputandi sollertia, dicendi denique vi aut venustate digna indigna, multis verbis speciosisque rationibus in utramque partem disputari. Sed ne quis ea de causa hanc ar-

tem criticam despiciat et contemnat; tantum enim est, illam strenue facere. Plurima conveniant saepe necesse est, ut certo possit de aliqua re statui; alia veterum codicum fide et testimonio dijudicanda, alia grammaticis linguae legibus; ad nonnulla historia valet, in aliis philosophandi quaedam ratio summum habet momentum, in quam multis morum et consuetudinum, institutorumve ratio sibi vindicat judicium. Exemplo sit Horatius; quam multa in illo Bentleji vidit divina sagacitas et acumen mirandum, quam multa tamen eximiae illi reliquit, qua Wielandius noster excellebat, morum notitiae humanique ingenii peritiae, quam multa ille ad poëmatum lepores et venustatem revocavit, in quibus aut nihil vidisset, aut a vero aberrasset veterum criticorum tristis severitas; quam multa tamen nostris hominibus reliquit ex meliore morum, consuetudinum, antiquitatum denique, quas dicunt, scientia emendanda, vel ex accuratius perspecta meliusque excussa verborum significatione, rectius denique constitutis grammaticae legibus dijudicanda! Quid quod multarum rerum etiam nunc splendor latet et ab historia aliisve disciplinis melius pertractandis suum exspectat judicium. Quod si tam multis artibus instructum esse oportet eum, qui critici officio ab omni parte satisfacturus est, quid mirum, si post tot tantasque doctissimorum hominum curas multa tamen in tenebris posita sunt, de quibus perspiciendis neutiquam nobis est desperandum? Quin, auctis summorum virorum cum doctrina tum ingenio literis et optimis artibus, vel minus docti accedere possunt ad judicandum, satisque confidere animo, fieri posse, ut, de quibus optimus quisque huc usque dubitaverit, nunc ipsi in lucem efferant certoque constituant.

In animum induxi de quarta oratione Ciceronis in Catilinam habita quaedam in medium proferre adolescentibusque, qui his nostris formantur praeceptis et disciplina, et, si quis forte praeter eos haec lecturus est, quid de ea sentiam, aperire; videntur enim mihi quaedam difficultates, quibus illa impedita est, ea, qua nunc gaudemus, litterarum luce posse removeri. Nobilitatum esse Ciceronis nomen his orationibus habendis, quis tandem nescit? Non ingenii postea solum, sed factorum etiam gloria floruit et in principibus Romanorum esse non desiit: qua ille gloria commotus et adolescentulorum, quod ipse scribit, studiis excitatus litteris eas consignavit et edidit. Sperabat fore, ut his editis ipse aliquantum sibi honestatis et auctoritatis ad rem publicam pararet, neque haec eum spes fefellit. Sed ipsum illum locum apponamus: Epist. ad Att. II, 1, 3. Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam qui-

dem ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur. Quarum una est in senatu Kal. Jan.; altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis; sexta, quum provinciam in concione deposui; septima, qua Catilinam emisi; octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in senatu Nonis Decemb. Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae.

Quatuor vides Ciceronem agnoscere orationes in Catilinam habitas; jam totidem reperiuntur in libris; quare quid tandem homines commovit, ut has, aut certe quasdam ex horum numero, non haberent genuinas? Primis quidem temporibus, quum his litterarum studiis nova quaedam lux affulsisset, nulla de his ne viris quidem doctissimis commota est dubitatio: postea vero, ubi invaluerant hae artes, quum stilum sibi videbantur homines novisse Ciceronianum et idoneam quandam de ejus ingenio et arte dicendi mentibus finxisse persuasionem, ubi doctae quaedam fraudes eos induxerant, ut singula scripta essentne genuina quaererent, tum ne ab his quidem suspicio abstinuit. In quartam maxime orationem homines incurrere, notare, obelo configere, Cicerone eam indignam clamitare, suppositam nobilique nomine fronti inscripto miserae nescio cujus rhetoris umbratilis declamationi aliquam commendationem esse quaesitam contendere. Hoc illa clamore, hoc contemtu abjecta est, dum F. A. Wolfius, vir immortalibus de hoc litterarum genere meritis clarus, etiam sibi professus est tres modo orationes Catilinarias probari; neque tamen quartam, quae plerisque non probaretur, sibi videri suppositam. Quo dicto viri celeberrimi fractus obmutescere coepit ille clamor, neque tamen scrupulus exemtus est, imo non desunt, qui etiam nunc pueris cantent, ut multa in his reperiantur pulchra, ut quae legantur hae orationes non sint indignae, a Ciceronis tamen eas ingenio abhorrere et plane alienas esse. Sed ut hi jam nulli sint, ad unum omnes summi illius viri auctoritate permoti dubitationem abjecerint; temere damnare, eundem deinde absolvere, hoccine quaeso constituere est

et judicare? Certo quod tu judicio constitueris, id solum firmum et stabile manebit. Quare jam non videor mihi acta agere, si post illud Wolfii dictum rem ipsam in disceptationem vocavero.

Oboritur tamen hoc loco difficultas haud parva, nam quum a pueris ita acceperimus, dubitare de quarta oratione in Catilinam viros doctos, tamen qui non dubia quaedam in medium protulerit, sed idoneis eam rationibus impugnaverit, novi neminem.[1]) Parum hoc est commodum, nam Platonici instar Socratis cogimur cum iis decertare adversariis, quos non novimus, easque rationes refellere, quibus num quid tribuant homines, nesciamus. Quamquam quum alia non pateat via, haec est ingredienda, quare, ubi quibus ipsi rationibus abrepti olim secus statuebamus, paucis proposuerimus, deinde, quae nos causae ab hoc cursu revocarint, paullo uberius explicabimus.

Laedebat autem me aliquando flebile illud, ne dicam effeminatum, orationis exordium, quo omnes se jam exhaurire dolores dicit, molestae illae, quibus se ipsum extollit, laudes, multo etiam molestior affirmatio, se in summo suorum luctu non esse animo immoto, ipse ille denique luctus, quem tantum fuisse vix credas: quae mihi videbantur a consulis romani dignitate et severitate, summi viri auctoritate, Ciceronis denique gravitate pulchrique judicio longissime abesse. Ipsius deinde orationis commovebat ordo et dispositio, aut, si ita magis placet, omnis omnino, ex quo oratio in ordinem quendam adigeretur, consilii defectus. Ab effeminato enim luctu exorsa ad summae constantiae et fortitudinis pergit confirmationem; proposita deinde, quae in medium prolata erat,

---

[1]) Haec ego quum scriberem, latebat me, quid viri docti ad hanc litem disceptandam in medium protulissent. Fugerat me editam esse ab Ahrensio hanc orationem Coburgi 1832 multisque ibi verbis esse demonstratum, cur supposita videretur: concessisse in hanc sententiam hoc auctore permotum J. C. Orellium V. C. in editis selectis Ciceronis orationibus. Turici 1836: patrocinium ejus suscepisse Schnitzerum in Quaestionibus Ciceronianis Aarauiae et Heilbronnae editis 1836 et 1837. Neque nunc ad me perlati sunt isti libri, vidi tamen recensionem horum scriptorum, quam diariis scholasticis proximi anni inseruit Bäumlein, a viro docto mihique amicissimo mecum communicatam. Intellexi iisdem fere de causis, quae me olim permovebant, Ahrensium hanc orationem damnasse, multa autem Schnitzeri doctrinam et Baeumleini acumen praecepisse, quae ego me reperisse laetatus fueram.

sententia utraque, se ad utramque ratam faciendam paratum esse profitetur; tum commodum suum in rationem vocat, ad Caesaris videtur inclinare sententiam, post vastationem urbis, incendia, foedissima quaeque ante oculos sibi proponens Silani amplectitur; tum omnium ordinum consensum in his rebus tuendis omnibus praedicat, postremo rursus quanta sit conjuratorum manus exponit. Hoccine vero est orationem scribere? non perturbare omnia magis et prima postremis commiscere? Valebat praeter haec ad meum judicium Sallustii illud silentium, quod viros doctos plures perturbavit, et quomodo statuerent dubios et suspensos tenuit, qui hanc orationem videbatur negligere non potuisse. Quid quod referentis consulis omnino non videbatur esse, dicere sententiam; quod si esset, tamen post praetores designatos eam dicere a consulis persona alienum. Jam quum mihi viderer quaedam in ea reperisse, quae minus viderentur apte dicta, immo ne latina quidem, vix me continui, quo minus confidenter coram ipsis discipulis posse, hanc orationem negarem, a Cicerone esse conscriptam.

Quod quum mecum statuissem et jam in eo essem, ut has ipsas rationes meas in commentariolos, quos ad meam ipsius admonitionem conficere soleo, referrem, en subito haesi, subtilemque, quam videbar mihi excogitasse rationem, eversam et perditam vidi. In legenda enim oratione Philippica secunda incidi in cap. 46 §. 119, ubi Cicero his verbis utitur: „Defendi rem publicam adolescens, non deseram senex: contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest, ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod jam diu parturit. Etenim si annos abhinc prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari: quanto verius nunc negabo seni?“ — Annorum nos computatio, templum Jovis Statoris, ubi haec oratio habita est, Catilinae denique nomen ad conjurationem nos Catilinae deducunt; jam quae significat verba in oratione quarta in Catilinam capite altero habentur. Agnoscit igitur ipse Cicero hanc orationem: neque hoc ille loco solo id fecit, sed in oratione pro Sext. c. 21 §. 47. „Aut ego illas res tantas, in tanta improborum multitudine quum gerebam, non mihi mors, non exsilium ob oculos versabantur? non haec denique a me tum, tanquam fata, in ipsa re gerenda canebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura aut fortuna dederat, vita retinenda?“ Haeccine non significant notissima illa: „Mihi si haec conditio consulatus

data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem cet. et rursus §. 48. Denique quum omnia semper ad dignitatem retulissem, nec sine ea quidquam expetendum esse homini in vita putassem, mortem, quam etiam virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiae, pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis, tantis rebus gestis, timerem?" — Quid quod finis prioris paragraphi pluribus verbis in eam ipsam orationis Catilinariae abeunt sententiam, sapienti viro mortem non posse esse miseram. His tu testimoniis nihil moveris? Si moveris, en tibi aliud omnium vel luculentissimum: Cic. Epist. ad Att. XII, 21. „Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit: quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant praeter Caesarem: et quum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M'Glabrionis, Silani, Murenae designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse judicaverim. Quae omnia, quia Cato laudibus extulerat, idcirco in ejus sententiam est facta discessio." — Poteratne accuratius etiam hujus orationis significare argumentum? Potestne his tot tamque luculentis testimoniis quisquam derogare fidem? Sed nescio quo pacto, moleste tamen fit, quod nulla his testimoniis removetur illarum dubitationum, quae quomodo poterunt stare, neque tamen improbari oratio? Quare quemadmodum solent medici remota demum morbi causa curationem sibi videri reperisse, ita nos, quasi vero nihil actum foret his testimoniis, ad ipsas illas dubitationes perlustrandas pergemus.

Fuerint illa omnia, jam contradicat aliquis, fuerint vero in illa, quam Cicero litteris consignavit, oratione; at potest rhetor ille, qui stili exercendi causa hanc, quam tenemus, conscripsit orationem, his veluti luminibus Ciceronianis suam compsisse declamationem. [1]) Audio; huic tamen sententiae quominus calculum

[1]) Ita censuit Ahrens, cui Augusti temporibus videtur scripta, et qui ejus excepit sententiam Orellius, qui eo deductus est, ut etiam illum locum in epistolis ad Att. 2, 1. a Cicerone abjudicaret. Speciosiores quam veriores ejus esse rationes post Schnitzerum demonstravit Bäumlein. Zeitschr. f. Alterth., 1838. I. p. 75.

meum adjiciam, multa me deterrent. Neque enim panni assuti similis est ille locus: „Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, sqq.“ sed ita cum omnibus reliquis cohaeret, ut abesse jam nullo modo possit; immo si ille adjectus, non genuinus sit, magnam necessario in eo orationi inserendo agnoscas artem, quum propter ipsam ineptiam suam Ciceroni abjudicetur haec oratio. Deinde in brevitate ipsa mihi videtur magnum quoddam argumentum positum esse, cur hoc a rhetore jam non possit esse profectum; fac enim talem hominem locum nactum esse hoc splendore, Dii boni! quantopere in hoc se jactaret, quibus verbis hanc animi tolleret magnitudinem! Tum easdem cogitationes multis verbis in oratione pro Sextio, paucissimis in Catilinaria esse expressas, testimonio mihi videtur esse, hanc illa esse priorem. Quod si rhetor illam Ciceronis in oratione Sextiana sententiam hac tanta brevitate, tanto vigore, extulisset, nonne summi oratoris nomine honestandus videtur? Denique ipsa dicendi ratio, ut reperiantur quaedam in hac oratione minus usitata, quae tamen possunt aut scribendi vitio irrepsisse, aut parum intellecta suum etiam desiderare interpretem, ipsa certe dicendi ratio Ciceronianae est simillima, a Senecae scriptis, Plinii, Quintiliani et a dialogo de causis corruptae eloquentiae mirifice abhorret. Nihil in ea fucatum, nulli, ut ait Quintilianus, recentis hujus lasciviae flosculi. Accedit, quod Quintilianus horum verborum ut dicti Ciceroniani mentionem facit VI., 3. Qua re si ad tempora aetati Ciceronianae proxima rejicimur, in aliam dejicimur difficultatem, quomodo potuerit vera illa Ciceronis oratio tum jam fuisse in deperditis?

Quibus ego testimoniis permotus eaque auctoritate adductus, quam spernere jam non poteram, rursus legendam hanc mihi sumsi orationem, id agens, ut dispicerem tantaene essent illae difficultates, quibus permotus Ciceroni haec abjudicabam, ut solvi jam et amoveri plane non possent. Quod quum accuratius facerem, viam mihi visus sum reperisse, qua omnia facile coirent, aut certe non ita multa relinquerentur; quam viam demonstraturo liceat mihi paullo etiam altius rem repetere.

Comitiis consularibus quum Cicero tanto amicorum praesidio stipatus in forum descendisset, ut nullo negotio Catilinae copias conductitias reprimeret (Cic. pr. Sulla §. 51, Plut. Cic. 14), hic ad ultimam desperationem adactus et tantis impensis ad consulatum sibi parandum toties factis rem familiarem exhaustam seque aeris alieni multitudine circumventum videns, quum propter solvendi necessitatem

nullum jam ipsi relinqueretur differendi tempus, vi rem perficere statuit. Concitatis itaque per totam Etruriam colonis Sullanis manuque in angustiis Faesulanis parata, ad caedem faciendam urbemque incendendam omnibus dispositis, nocte ea, quae consecuta est diem nonarum Novembrium, in M. Laecae domum conjuratos convocavit (pr. Sulla §. 52). Jam sibi omnia prompta, certum exeundi consilium, dixit brevique se cum Mallianis affuturum copiis affirmavit; quid in urbe fieri vellet, indicavit, singulas ejus partes ad caedem faciendam et optimum quemque per domos per vias interficiendum distribuit, Cethegum huic negotio praefecit, concitandam incendiis faciendis multitudinem C. Cassio tribuit, summam rerum in urbe ad Lentulum detulit. Postremo, nihil admodum se suis consiliis timere, professus est, nisi forte urbanas res Ciceronis vigilantia explorandique sollertia perturbaret. Quo facto C. Cornelius eques Romanus per Autronium, (pr. Sulla §. 18) ut videtur, Catilinae conciliatus sibi, ut ait Cicero (pr. Sulla §. 52), officiosam illam depoposcit provinciam, ut cum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus eum in ipso lectulo trucidaret. Placuit, socius datus, concilium dimissum est.

Quae res quum ad Ciceronem per Fulviam esset delata, quanto tum consulis domum efferbuisse censemus tumultu. Consul circumire, fortissimum quemque servorum eligere, arma distribuere, portas praesidiis firmare, singulis quid facerent praescribere, omnes hortari, ut, quam saepe praedicassent fidem suam, eam nunc in summo capitis sui periculo ostenderent. Servi contra et optimus quisque libertorum vultu verbisque confirmare suam fidelitatem, omnia circumspicere, cum facibus per domum cursitare, sermones fortissimos serere, deinde de urbis securitate timere. Cicero interea per fidelissimos libertos amicissimos sibi, consulares, principes denique senatus convocare, eos in consilium adhibere (Cic. pr. Sulla §. 11, 12, 13), iis quid comperisset aperire, hortari, ut quicunque de facta conjuratione adhuc dubitasset, suis nunc oculis fidem adjungeret, viderent, ne quo ipse nunc versaretur in periculo, idem brevi in ipsorum caput incideret, obtestari, ut secum patriam, urbem, conjuges denique et liberos servarent. Illos vero quantopere censemus fuisse commotos? Alii conjurationem factam esse diffidunt: ut illud jam cadat in hominem, in civem Romanum, virum litteris imbutum, ingenio non mediocri praeditum, senatorem, praetorium, nobili loco natum, genere et affinitate cum principibus Romanorum conjunctum hoc tantum scelus jam cadere non posse. Seniores maxime consularesque in hanc inclinabant sen-

tentiam.[1]) Alii contra, (num audacius statuo, P. Nigidium Figulum in his fuisse?)[2]) quando tandem dubitandi finem fore? Bis jam conjurasse Catilinam. [3]) Prius non esse creditum, certa enim defuisse testimonia, jam consulis vigilantia deprehensa esse argumenta luculentissima, magistratuum jam caedem in oculis, in manibus esse; nihilo secius esse, qui ne oculis quidem crederent, dum ferrum ipsi aut ipsorum propinqui, liberi, jugulo acciperent, ipsi inter caedem et incendia incredulitatis poenas darent. Quibus sermonibus illi, quemvis, regerere, donec certa ejus demonstrata sit culpa, habendum esse pro innocente, nihil temere credendum. Prioris autem conjurationis adeo incertos ad se delatos esse rumores, ut vel juratis sibi pro Catilina et Autronio testimonia dicenda essent. [4]) Hic contra: Ut Catilinae, ut Autronii scelera et flagitia nihil valeant, ut spretus pudor, abjecta pudicitia nullius momenti sint, ut acerbissimum, quod fecerint, fortunarum naufragium nullam his adjungat fidem; nunc certe senilem illam dubitationem brevi illis exemtum iri. Consuli denuntiari pericula, non in foro immitti sicarios, ne domi quidem eum suae, in lectulo securum esse. Eum certe cunctandi et dubitandi finem statuerent, si illi cum telis postridie salutatum venissent. Ita media nocte per Ciceronis domum omnia sermonibus, rixis, contentionibus, objurgationibus strepere, omnia dubitationibus, studiis, ira, metu misceri et perturbari.

Quae dum fiunt, quo tandem miseram Terentiam censemus fuisse animo, per noctis tenebras quum discurrentes in domo servos armorumque stepitum audiret, sermones deinde timentium ipsoque timore res etiam augentium ad ejus pervenirent aures, quum consiliorum conjugis non plane expers praesentisque conjurationis non ignara viros summos videret convocatos, eorum audiret sermones, quid sibi quisque, quid urbi, quid rei publicae timeret, percepisset? Ego vero videor mihi eam videre angore exanimatam, conjugis in conspectu suo trucidati speciem jam mente intuentem, in ipsum virorum concilium, ni forte admissa erat,

---

[1]) Consulares a Torquato accusatos uno nomine, eos affuisse Catilinae eumque laudasse, tradit Cic. pro Sulla §. 81. Cujus verba etsi non ad hanc noctem spectent, tamen, quid tum illi fecerint, quodammodo inde colligi potest.

[2]) Cic. ad div. 4, 13, per me quondam te socio defensa res publica. Plut. Cic. c. 20.

[3]) Cic. pro Sulla §. 11 ait Torquatum Sullae accusatorem unam modo priorem constituisse conjurationem. Contra facit Sallustius c. 18.

[4]) Cic. pr. Sulla §. 12.

vi se inferentem, per deos, aras, focum, per suos quemque liberos orantem: conservarent conjugem, eum in tanto periculo ne desererent, ne se miseram summis doloribus et acerbitatibus traderent.

Rejecta deinde a conjuge et, virorum ne perturbaret consilia, admonita Tulliae petit amplexus, quae exanimata metu, vix ullius verbi potens adstat, collacrimans, supplices ad potentissimum quemque tendens manus, nequidquam Pisone laborante, ut confirmaret animum et solatium suppeditaret.

Sedatis tandem turbis et silentio facto, consilia coepta sunt iniri. Aliis ad extrema videtur decurrendum, consules senatusconsulto armandos, ut vi vis posset depelli. Aliis non tantum sceleris esse factum videri, nec tantam unius viri arbitrio permittendam esse potentiam censere. Quibus quum ab altera parte, quod tandem facinus exspectandum esset, responderetur, placeretne inter caedes et facta incendia de servanda urbe consultare; Terentia velut furore percita parvulum afferre filium eumque virorum consilio proponere: Hunc paternae voluntatis acciperent obsidem, semper M. Tullium cum optimis civibus sensisse, praesidio eum multis fuisse, multis saluti, neminem unquam ab eo fraude circumventum. Si tamen obsidibus opus esset, acciperent; modo urbem defenderent ab incendiis, a foedissima denique caede cives, uxores, liberos.

Sed vereor ne quibusdam videar tragoedias magis pangere, quam historiam scribere, quum de his rebus quod quidem constet non sit traditum. In nonnullis ad memoriae fidem provocavi; ejusmodi sunt alia, ut jam non fieri non potuerint; alia, ut facta esse facillime credas. Non abfuisse Terentiam et Tulliam a nocturno virorum consilio ipsa matronarum Romanarum conditio credibile facit, ita autem sensisse utramque, quum mulierum evincit natura, tum quae Cicero passim de earum tradidit moribus. Terentiae enim paene virilem animum tribuit. [1]) Tulliae contra passim laudat pietatem, amorem, ingenium, fortitudinem non extollit. [2])

---

[1]) Plut. Cic. 20. *Τερεντία οὐδ' ἄλλως ἦν πραεῖά τις, οὔδ' ἄτολμος τὴν φύσιν, ἀλλὰ φιλότιμος γυνὴ καὶ μᾶλλον, ὡς αὐτός φησιν ὁ Κικέρων, τῶν πολιτικῶν μεταλαμβάνουσα παρ' ἐκείνου φροντίδων ἢ μεταδιδοῦσα τῶν οἰκειακῶν ἐκείνῳ.* Cic. ad fam. XIV, 1, 1: 2, 2.

[2]) Ad Quintum fr. I., 3, ad div. XIV, 1. — Contra hanc, quam nobis informavimus, Tulliae imaginem aliquis provocet ad: ad div. XIV, 7. Cohortarer vos, ut

Acerbissimam Cicero in oratione pro P. Sulla illam, cujus nos modo nobis imaginem informavimus, vocat noctem, non sua quidem magis quam rei publicae respiciens tempora: poterat vero aerumnosissimam dicere et luctuosissimam. Tandem non exoptata illa quidem, quippe quae ipsissimum ferret periculum, adest lux, adest C. Cornelius cum Varguntejo (Marcium et Cethegum dicit Plut. Cic. c. 16); servi se eos admissuros negant. Illi indignari, se, viros hac dignitate, hoc genere excludi a consule, vociferari, clamitare et hoc ipso intrandi conatu suspicionem in se commovere. Feroces eorum sermones et minitantia dicta exaudiuntur ab iis, qui inclusi sunt cum consule, et redintegrata eos intrandi conamina non sine majore quodam consilio venisse ostendunt. Servi tamen quum nihil ipsis concederent, postremo infecta re discedunt.

Postridie hujus noctis quid sit factum, quemadmodum Cicero Catilinam ejecerit, emiserit, notum est; neque illud nostra refert, pluribus exponere, quomodo socii hujus conjurationis deprehensi, certis indiciis convicti et in custodiam dati sint. Duces jam conjurationi deerant, ipsum tamen malum neutiquam exstinctum, immo captivorum liberti et clientes vitae et saluti patronorum timentes, circumibant, tenuissimos sollicitabant, promittebant pecunias, inimicorum miseros illos artibus et invidia circumventos clamitabant, immo si essent vel maxime sontes, tamen defuisse judices, ademtam in exsilium abeundi potestatem, quae omnibus data sit civibus Romanis, pollicendo denique praedamque opimam infimae plebi in summa rerum perturbatione ostendendo magnum jam sibi ejus numerum adjunxerant, nec apparebat, quorsum illud malum esset evasurum.

Tum Cicero hortante virginum Vestalium impulsu Terentia, admonente fratre et P. Nigidio Figulo (Plut. Cic. c. 20.) Nonis Decembribus Senatum in aedem Jovis Statoris convocavit, quae jam esset rerum conditio exposuit et retulit, quid de iis placeret fieri, qui cum Catilina conjurassent. D. deinde Silanus, quem consulem designatum primum ex more dicere jussit sententiam, in eos, qui contra patriam conjurassent, censuit ut in hostes animadvertendum, extremoque eos voluit affici supplicio. In cujus sententiam, qui post eum sententiam dixerunt, alter consul designatus, praetores praeterea quidam designati concedebant, donec sententiam dicere jussus C. Julius

---

animo fortiore essetis, nisi vos fortiores cognossem, quam quemquam virum: et ad Att. X, 8, 9. Hic tamen videat, nihilne videatur intercesse inter puellae et matronae ingenium.

Caesar, praetor et ipse designatus, rerum conditionem plane permutavit et in aliam partem inclinavit. Extremum sibi non minus et acerbissimum placere dixit in homines tam nefarios genus poenae, vincula autem aeterna celeri morte longe esse duriora et asperiora. Viverent, sed ita viverent, ut in singulas horas mortem optarent magis au timerent; viverent in miseria, luctu, egestate rerum omnium, in extremo tandem vitam traherent hominum contemtu et odio. Ne quid tamen ab iis urbi impenderet periculi, sibi placere, ut per municipia Italiae distributi in custodia haberentur; Silani enim sententiam novi pessimique exempli esse consulique nimiam potestatem tradere. Sed Caesaris qui post Sallustium velit orationem adumbrare, Iliadem videri possit post Homerum scribere.

Caesar quum dixisset, ait Sallustius, alius alii varie assentiebantur. Supererat autem, qui sententiam diceret, ex praetoribus designatis sive solus, sive alii praeter eum, Q. Cicero, consulis frater, cujus viri egregiam informavit morum descriptionem B. R. Abeken in libro illo, cui titulus est: Cicero aus seinen Briefen p. 67, cum quo loco conferendum maxime, quod p. 286 idem de eo tradit. Facillime ille et vehementissime commovebatur, non mediocris in eo inerat spiritus, iracundiae facillime se dabat, quae tamen si abesset erat jucundissimus. Epist. ad Quintum, fr. I, 1, 38. Ira si commota esset, acerbior erat: prudentiae saepe ipsasque recti lineas non raro transibat, quam ob causam male audit a fratre ep. ad. Q. fr. I, 2, 7. Dicacitate, salibus et facetiis pollebat et, si quando esset subiratus, convicia et maledicta facillime in alios conjiciebat, qua de causa Marcus eum iracundiae dulcedine quadam captum esse, jocatur. Cum hac natura paullo acriore tamen magna quaedam conjuncta erat voluntatis varietas et dissimilitudo opinionis ac judicii, (epist. ad Att. I, 17) summa denique comitas mollissimusque animus. Quanto fratrem complexus sit amore, quam maxime patet quum ex omnibus epistolis ad eum missis, tum ex I, 3, ubi quanto cum luctu a fratre discessisset, quanto cum majore exsulem, abjectum, desperatum visurus fuisset, exponitur. De litterarum studiis animique humanitate dicere ab hoc certe loco alienum est. Epist. ad Q. fr. I, 1. §. 7. Hic vir, hoc ingenio, his moribus, sententiam dicere jussus, judicii illam, de qua diximus, ostendit dissimilitudinem; quum enim ipse teste Plutarcho fratri ad rem strenue gerendam auctor exstitisset, nunc Caesaris amplexus est sententiam. [1]) Quam quibus de causis probave-

[1]) Sueton. Julius Caesar. 14. Caesar metum injecit asperiora suadentibus, ut D. Silanum, consulem designatum, non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe

rit, nobis non est traditum; ea quidem, quae Caesar in extrema oratione prae se tulerat, probare non potuit, nimiam hanc esse potentiam consularem pessimique exempli; illud multo magis secutus videtur, senatus non esse, legibus homines solvere et reis judicem negare, neque satis tutum consuli tale senatus consultum ratum facere, quod patefactum esset eo ipso anno in C. Rabirio accusando.[1])

Magistratus quum dixissent, jam privati erant sententiam rogandi, primo loco consulares.[2]) Catulus ex iis teste Plutarcho Cic. 21, primus adversatus est Caesari. Alios nobis, qui eandem sententiam amplexi sint, Cicero exhibet, epist. ad Att. 12, 21, qui quum Catulum primo loco nominasset, Servilium ei, Lucullos, Curionem, Torquatum, Lepidum, Gellium, Volcatium, Figulum, Cottam, L. Caesarem, C. Pisonem, M. Glabrionem subjungit. Hos ut omnes ante hanc, de qua dicimus, orationem dixisse censeam, L. Caesaris facit commemoratio, (Cat. IV, §. 13), qui quum proximo anno consul fuisset, certe ante seniores non erat sententiam rogandus; quum autem ea jam ei imponenda esset necessitas, ut de P. Lentulo, sororis marito, puniendo diceret, vel ultimo erat loco evocandus. Neque illud me deterret, quod non hoc ipso die, sed ante diem tertium dicitur tam strenue dixisse. Tum enim illum praesentem dixerat morte esse afficiendum, nunc inter multos de ejus supplicio dixerat absentis. Hanc laudibus efferre non poterat Cicero sententiam, quin alios laederet, Catuli nolebat fortasse, ne C. Caesarem offenderet; illam laudari nemo poterat moleste ferre. — Neque tamen omnes mihi videntur consulares hanc partem esse secuti; abesse enim multos, quis est, quin videat? Crassum, Hortensium alios; quos omnes non affuisse vereor, ut quisquam affirmet.

Dixerant tamen praeter consulares etiam alii: testimonio est Sallustius, qui c. 50 Tiberium Neronem ait consuli auctorem fuisse, ut praesidiis additis referret, quam mihi sententiam significare videtur Cicero §. 14. „Sed ea, quae exau-

---

erat, interpretatione lenire, velut gravius, quam ipse sensisset exceptam, obtinuissetque adeo transductis ad se jam pluribus et in his Cicerone, consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio.

[1]) A T. Attio Labieno, tribuno plebis, ille in jus vocatus erat, quod viginti septem annis ante L. Saturninum interfecisset, quem senatus hostem patriae judicaverat. Abeken p. 87.

[2]) De ordine sententiam rogandi in senatu vide Cic. epist. ad Quint. fratr. II, 1.

dio, P. C., dissimulare non possum. Jaciuntur enim voces eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, quae vos hodierno die statueritis transigunda." Cf. §. 18. [1]) Cum indignatione haec dicta et minacia videri, non est, quod moneam. Quum dicit, videntur vereri, simulatum hunc magis quam verum timorem significat. Quod jaciuntur voces dicit, negat hanc esse sententiam dictam; (Appianus de bello civili II, 5 sententiae eum loco dixisse refert) videtur autem nescio quod Neronis notare supercilium, quod in Claudiorum ab omni quidem parte cadit familiam. Appianus quidem videtur auctor esse Tib. Neronem ante Caesarem dixisse quod vereor ut fieri potuerit. Nulli enim, quod sciam commemorantur, quos Tib. Claudius Nero gesserit honores, quare inter magistratus designatos vix potest sententiam dixisse. Accedit, quod suo eum loco Appianus dixisse refert: quare ordini, quo ille haec refert, non ita multum tribuendum videtur; potest enim ea de causa Silani sententiae hanc statim adjecisse, quod in hanc Neronis postea Silanus se concessurum dixit sententiam.

Quare quum jam viri minus aetate provecti sententiam rogarentur, hi maxime videntur ad Caesaris sententiam inclinasse. Erant autem inter eos Ciceronis amici ejusque opera in arte dicendi instituti, funestae illius noctis testes. Qui quum consulis fratrem viderent illam amplexum esse sententiam, Ciceronis vitae et saluti timentes certatim in illam coeperunt partem concedere et hanc ejus curam aperte prae se ferre, immo deprecari, ne senatus statueret, quod viro optimo, civi patriae amantissimo apertum ferret periculum. Ita factum aperte Plutarchus tradit, [2]) qui quod post Ciceronis orationem demum hujus rei mentionem

---

[1]) Fuere quos laederet neglectus in hac oratione Tib. Neronis sermo (Ahrens p. 83); qui mihi minime videtur neglectus. Idem sentit Baeumlein Z. f. Alterth. I., p. 72, qui recte videtur vidisse, Ciceronem illis verbis significare, se senatum de ea re in suffragia non esse missurum.

[2]) Plut. Cic. 21. *Οὔσης δὲ τῆς γνώμης (τῆς τοῦ Καίσαρος) ἐπιεικοῦς καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δυνατωτάτου, ῥοπὴν ὁ Κικέρων προςέθηκεν οὐ μικράν. Αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ Καίσαρος γνώμῃ συνειπών· οἵ τε φίλοι πάντες οἰόμενοι, τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην, ᾑροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην, ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν μεταβαλλόμενον παραιτεῖσθαι.* Ahrens Plutarchi sprevit auc-

facit, ei nihil tribuendum est. Quum enim per Ciceronem magnum Caesaris orationi accessisse momentum dixisset, hac sententia et quid ipse Cicero et quid amici fecissent complexus; Cicero profecto, etiamsi post illos dixerat, primo tamen loco commemorandus erat. Quae sententia ab amicis Ciceronis dicta nisi fefellisset viros doctos, vereor, ut fuisset, qui hanc Ciceronis orationem hominibus in dubium adduceret. Sed videant alii, utrum audacior sim, si statuo, aliquem ex eorum numero in hanc sententiam dixisse.

Parum in tempore sibi videri ad senatum referri; neque enim civibus esse salutare, et praepropere senatores juberi de re gravissima sententiam dicere. Fieri posse, ut, qui jam diu factam conjurationem putassent, iis nunc quid esset decernendum constaret; reliquis jam temere fore sententiam dicendam. At e re publica esse scilicet, ut celeriter statuatur; per libertos enim Cethegi multitudinem concitari. Nefarium; sed quid tandem sibi vellet ista multitudo, quidve timeret? Id ipsum videlicet, quod nunc postularetur a senatu, ne fieret, ut acrius in patronum indictaque causa statueretur. Si senatus quiescat, illos non minus quieturos esse, quare augeri hac consultatione illud, quod vitarent, malum: lenius consulendo eos effecturos, ut multorum hominum defervesceret furor. Deinde errantes ad ultimam desperationem adigere, nec mansuetudinis esse, neque prudentiae. Viderent, quo acrius consulendo res deduci posset. Forum certe constitutum esse judiciorum omnisque aequitatis sedem; esse tamen consulem, cui forum ab insidiis nunquam esset vacuum: magnum ferri et opinione hominum et deorum religione campum consularibus comitiis consecratum, curiam omnium gentium auxilium; esse tamen consulem, cui ne sella quidem curulis discrimine capitis esset libera: domum esse

---

toritatem, quod ut temere fecit, ita veri inveniendi ipse sibi viam obstruxit. Qui convenit enim omnem hujus rei disceptationem ita ad Sallustium conferre, ut, non quod ei contradicat, sed, quod ab eo non sit traditum, continuo sordeat? Nullum igitur in modo, quem teneat in narrando, scriptoris est arbitrium? nullus diversitati cuidam judicii locus? Quis est, qui id affirmet? cum maxime tam multae sint res quas in narrando sibi proponere potest rerum scriptor? Quare recte mihi Baeumlein, hoc esse in viri illius docti libro πρῶτον ψεῦδος, quod dicunt, videtur contendisse. Ut aliqua ex Sallustii sententia dubitationis causa petatur, causa certe, cur bono scriptori fides abrogetur, inde petenda non erat. Sed de his post videbimus.

omnium jam hominum commune perfugium, lectum denique fessis ad quietem datum; consuli tamen illi ne haec quidem periculo esse vacua. Quo haec tandem evasura esse? Quem haec immoto vultu intueri posse? Eum nimirum durum et ferreum, qui, quum praesens ei esset in ipsis sedibus suis mors proposita, ne conjugis quidem exanimatae adspectu, ne filiae quidem metu abjectae precibus commoveri potuisset, ut sibi parceret, ipsis consuleret, nedum nunc aut de suo periculo aut illorum metu cogitaret. Mitigarent hominum furores, aliquid temporis darent animis ad se colligendos, dementes ne exacerbarent. Salutare Caesarem suppeditasse consilium, quo praesens periculum depelleretur; melius tamen videri in aliud tempus rejicere relationem, ne acrius agendo rem in summum adducerent periculum. Se cum M. Tullio fuisse funesta illa nocte, quum ei in sedibus suis mors proponeretur, admiratum esse illum animum, quo malevolorum hominum tulisset maledicta et convicia, tacuisset acerbissimis contumeliis vexatus, multa denique timori concessisset et suspiciosae dubitationi: invicto tamen animo quod suorum moerorem, quod conjugem viderit parvulum filium obsidem paternae voluntatis offerentem, [1]) se laudare non posse. Huc usque eum insigni quadam deorum benevolentia ex ipsa caede et incendiis esse ereptum: ne nimis fortunae crederet; infidam esse, et qui primo vicissent, post saepe victos esse. Quid futurum censeret, si quis casus ad adversarios summam rerum detulisset? exsilium ei, si nimis urgeret, et immaturam mortem turpissimam et miserrimam impendere: conjugis praeterea sibi, liberorum acerbissimas vexationes ante oculos poneret, bonorum direptionem, filii fratrisque amantissimi foedam fugam et egestatem. Quae mala ne ipse temere in se reciperet, neve patres conscripti ei imponerent. Ab amicis jam illum esse exorandum, ne crudelius in se ipsum consuleret: quare adessent, quicunque Ciceroni bene cuperent, precibus eum circumsiderent et ab obstinato animo, quo caecus in perniciem rueret, revocarent. Consule eos fortissimo, cive candidissimo, viro optimo servato, egregie profecto de patria fore meritos.

Talis oratio si ab amico haberetur, Cicero videri poterat aliud ipse dixisse, aliud per fratrem et amicos dicendum curasse, quin eo jam deducta res erat, ut vix posset facere, quin de hac sententia diceret, quod mihi hac de qua dicimus

---

[1]) Videsis, quae de hac nocte prius diximus.

oratione videtur fecisse. Sed parum est, quid videatur et quomodo fieri potuisse, exponere, ni idoneis ita factum evincatur rationibus.

Quid agam, vides. Rejiciendum censeo sententiarum in initio orationis positarum languorem et indignitatem in hominem aliquem, qui ante Ciceronem dixerit.

Sed ne illud ipsum audacius quam verius contendisse videar, neve speciosa magis quadam opinione, quam certo judicio uti videar, jam singula, ex quibus haec collegi, argumenta proponemus. Et primo quidem loco respicere Ciceronem alius cujusdam orationem et alii viderunt et ipsa illa, quibus in exordio utitur, verba demonstrant: Video vos, Patres conscripti, de meo periculo esse sollicitos, quibus ille manifesto ab aliis dicta respicit, quod aliquanto etiam clarius facit in iis, quae addit: Est mihi jucunda in malis et grata in dolore vestra voluntas. Luculente deinde, quae fuerit rerum in senatu conditio, §. 3 significavit, ubi fratris praesentis commemorat moerorem eorumque lacrimas, a quibus patres ipsum circumsessum viderent. [1]) Haec verba, quum iis, quae domi fiant, aperte opponantur, non possunt non significare, quod ante senatorum jam oculos fiat. Circumsidetur igitur consul, quod verbum metaphorice dictum reperies Phil. XII. §. 24, sicut hoc loco de precibus dictum censeo. Quod verbum si ipsi orationi ejus, qui ante eum dixerat, tribui, non ita tamen feci, quasi illud necessarium videatur. Deinde, dicendi non modo ansam et occasionem priore aliqua oratione esse datam, sed ipsissima respici et afferri prius dicentis verba, demonstrat, quod dixit: ego sum ille consul, et §. 3.: Nec tamen ego sum ille ferreus; unde clarissime patet, ambigue esse de consule dictum, cui ipsa domus aliaque tranquillitatis praesidia insidiis non essent vacua, et de homine quodam ferreo, qui, quae durissimum quemque moveant, immotus tulisset. Quod si Cicero nihil dicturus erat, nisi consul ejusmodi, profecto dixisset: is consul. Hoc enim interesse statuit Schmalfeld Synon. §. 515, 59, inter is et ille, ut is aut nominis, de quo dicatur expleat vicem, aut significet qualitatem, quam dicunt; ille ad ea, quae aut loco aut tempore absint, aut de quibus prius sit dictum spectet. Doctius, sed in eandem sententiam dixit Grysar,

[1]) Ob haec ipsa verba vereor, ut cuiquam satisfaciat, quam Baeumlein professus est sententiam, in Caesaris oratione fuisse illam, quae Ciceronem ad dicendum permoveret, causam. Omnia ostendunt, eum non contra Caesarem magis, quam contra pravam amicorum dicere sedulitatem.

Theorie des lat. Stils, p. 42 et 81. Tum movent me multa justo brevius et obscurius dicta in hoc exordio, cujus generis sunt: Est mihi jucunda in malis et grata in dolore vestra erga me voluntas. Quae tandem ille dicit mala, quosve dolores? Omnibusne senatoribus notos, ita ut jam commemorandi non essent? pse tamen postea commemoravit: Ego multa tacui, multa pertuli, multa meo quodam dolore in vestro timore sanavi. Sed eadem haec laborant difficultate: quid tandem tacuit? Quod omnibus notum erat? At unde? Aut alius protulerat in medium, aut etiam nunc latebat: si alium de ea re dixisse censes, id ipsum dices, quod volumus; si latuisse etiam, expone, qui potuerit, non Cicero, sed extremus rhetor hanc sententiam ponere? Sed fac, alium dixisse: non modo aberit haec difficultas, sed jam, quo ille pluribus verbis dixerat, eo major videbitur Cicero haec omnia ad patriae salutem parandam laeto animo in se suscipiens. Alio deinde loco: mihi si haec, inquit, conditio consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem, feram et q. s. Quos tandem cruciatus dicit? Quos exhauserat? at contradicit: feram. Num quid acerbius in senatu dictum significat? at non dixisset: perferrem. Relinquitur, ut de futuro tempore dicat. Quamquam vel sic, opinor, dixisset perferam, si ad suum rem revocaret judicium: ita ut hoc imperfectum loculentissimo mihi sit testimonio, alienum hic proferri judicium. Exsilium et reliquas, quae secutae sint, aerumnas sibi ob oculos versata dicit pro Sext. §. 47. Sed hoccine est vaticinari magis, quam dicere. Fac alium de ea re dixisse; omnia plana erunt et aperta: quid quod certissimo testimonio sunt de hac re dictum esse, quae in orationis initio posita sunt verba: Video, vos non solum de vestro ac rei publicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos, denique, quum negat, posse mortem immaturam esse consulari,[1]) nonne apertissime testatur, quod dicat tempus?

Accedit, quod etiam majus est. Videntur enim ipsa illa obscurius dicta certissimo esse testimonio, non posse hanc orationem a rhetore quodam in scholae

---

[1]) Hoc ipsum verbum video in eam detortam conditionem ab Ahrensio, ut testimonio esset, non posse hanc orationem a Cicerone esse profectam; non fuisse enim Ciceronem, quum diceret, consularem: neque minus eum lacesisse alterum dictum, non posse mortem turpem esse forti viro. Catilinam fuisse virum fortissimum, turpi tamen morte obiisse. Quasi vero Cicero de Catilina ejusque similibus, non in universum dicendo de se solo diceret.

aut usum aut delectationem esse conscriptam; nam quicunque orationem habitam litteris consignat, is, quae omnes norunt, satis habebit significasse: sin quis declamationem ad umbratilem scholae acroasin de aliqua re ex historia petita composuerit; is ejusmodi significationibus necessario abstinebit, ad locos communes et speciose dicta confugiet, in philosophiae praeceptis se jactabit, hominum in universum aut temporum castigabit rationem; sin ad facta quaedam respiciat, facere non poterit, quin narrationem dictis inserat. A qua re quantum haec abest oratio!

Commemoretur mihi praeter haec, quae necessariam, ut mihi quidem videtur, hanc nostram faciunt hypothesin, languor illius sententiae, qua sibi orator, non forum, non campum, non lectum denique ipsum attulisse securitatem narrat. Languere eam nude positam, vereor, ut quisquam neget; sed fac eam paucis complecti, quae alius quis multis exaggeraverat verbis, non erit opinor sine excusatione sua. Molestissimae mihi postremo semper visae sunt et deprecatio illa, ne durus et ferreus videretur, et conjugis filiaeque commemoratio; immo si haec nulla necessitate imposita a Cicerone essent dicta, confidenter affirmarem, non posse hanc orationem a Cicerone esse conscriptam. Quid a consulis dignitate et amplitudine magis alienum, quam in rebus maximis decernendis confiteri, se conjugis et liberorum saepe domum avocari metu; quid magis pugnat cum viri sapientis gravitate, quam hunc suorum commemorare moerorem et metum? Hoccine a Cicerone dictum videri potest? Ego vero multos fore opinabar, qui haec non solum a summi oratoris persona, sed ab omni veri specie abesse sibi persuaderent. Qua de causa illam noctis illius funestae informavi imaginem, id agens, ut simul et quid commovisset eum, quem ante Ciceronem dixisse censeo, et quid ille audientibus ob oculos posuisset ostenderem.

Neque tamen ita hanc rem agam, ut eam quae mihi commovetur dubitatio silentio premam. Quid est, quod Cicero illum non nomirarit hominem? Molestum; possunt tamen multae ejus rei cogitari causae. Fieri potuit, ut ille in deliciis esset Ciceroni, quare ego pridem de ipso Quinto Ciceroni cogitavi, cui hanc orationem tribuerem. Multis tamen de causis hanc abjeci sententiam: sed quanto majore eum amore Cicero amplectebatur, eo minus debebat esse ad eum notandum pronus esse. Accedit, quod non expostulavit cum illo, quod facere jam non poterat, si persuasum sibi habebat, candidissime eum et amantissime dixisse. Eo magis autem abhorrere debebat ab omni verborum acerbitate, si forte ipse erat

commotior, quod in tanta, qua Cicero erat, animi agilitate, quis certo negare audebit? Effugies tandem hanc difficultatem, si id, quod nos uni dedimus, inter plures oratores distribueris. Commemorasse satis erit, hanc nostram sententiam Plutarcho non contradicere; ille enim magnum quidem a Cicerone Caesaris orationi esse momentum adjectum, quod hanc orationem habuerit, affirmavit; Ciceronem his ipsis Caesaris verbis commotum esse non dixit.

Remota illa difficultate, quam ex flebili et effeminato exordio natam nobis diximus, jam ad aliam transeamus, sitne referentis consulis, in ipsis sententiis rogandis suam interponere et inserere sententiam? Quo loco nunc obiter liceat defungi; majoris enim est indaginis, neque potest his finibus, qui mihi propositi sunt, absolvi. Hoc dicam: levitatis mihi videri et arrogantiae, quod non saepe appareat factum, id factum esse unquam negare, praesertim quum optimo scriptori aperte contradicas. Vide enim, quid facias Plutarcho Cic. 21, qui illud sine ulla dubitatione tradit. Deinde non sunt omnia ex nostris moribus judicanda et si quid mirum videatur, idcirco non continuo spernendum est; aliis enim aliud placere potest. Quid si quis narret, licuisse referenti relatione habita ex senatoribus neminem sententiam rogare, nec senatum in suffragia mittere, sed statim re relata dimittere consilium; non mirabile videbitur? Licuisse discere potes ex Ciceronis epist. ad Quint. fr. II, 1, ubi a Lupo tribuno ita factum videbis. Quid quod haec oratio neutiquam est contra morem nostrum habita, sed nihil factum apparet, nisi quod in quovis ejusmodi consilio quotidie fiat, et quod fieri in ipsa rerum natura est positum: tamen dubitabitur? Id autem ita esse, commodius demonstrabitur in explicando hujus orationis ordine et dispositione membrorum, quam si quando minus aptam et pulchram putavi in hac oratione conspici, nunc contra mihi videor in hoc ipso judicio me videre juveniliter ferocientem. Sed non ego solus, opinor, eo nomine peccavi, ut, quod minus perspicerem, id, celerius judicans, minus bene se habere confidenter affirmarem. Tantum enim abest, ut disjecta quaedam hic habeantur orationis membra, ut egregie sint omnia magis, venuste et ornatissime composita. Ipsas autem orationis partes optime descripsit et indicavit Orellius, V. C. et de Cicerone optime meritus, in editione operum Ciceronis non multis verbis disserendo, sed nil nisi lineas non explendo: quem si sequaris prima pars a §. 1 ad 5 porrigetur, in quo tamen ab eo dissentio, paragraphus enim quarta et quinta est partis secundae, sequetur §. 4—8. Caput quintum tertiam habebit partem, sexto assignabitur quarta,

quinta pars per caput septimum et octavum continuabitur, sexta in nono continetur et quae jam sequuntur capita septimam habebunt totique operi finem imponent. Prima parte Cicero a semet ipso dicendi facit initium, namque senatorum deprecatur voluntatem, qua se in judicando respicerent, se enim rei publicae causa libenter omnes suscepturum molestias. §. 1. Non falso, deinde significat, de summis, quos ipse pertulisset, doloribus dictum; tamen si his suis acerbitatibus patriam posset servare, se quamvis fortunam libenter subiturum: quin se laetaturum, si in fatis sit, ut hic consulatus patriae salutem pariat. §. 2. Revocatos deinde a perversa misericordia, quid ipse de illis aerumnis sibi propositis sentiret, aperit: non videri illas omnino extimescendas, deos enim hujus meriti sui non futuros immemores. Quod si tamen aliquid sibi accideret, jam mortem sibi videri non magnopere metuendam: non quin parum moveretur fratris et amicorum, qui ipsum circumsederent, moerore, aut conjugis filiaeque absentium timore, (falso sibi hunc animum tribui), sed cum omnibus eos salvos esse posse, solos non posse. §. 3.

Jam ad alteram transit partem, quanta sit causa, quam luculenta conjurationis indicia, commemorat §. 4 et 5, eorum contradicens, opinor, sententiae, qui aut illam elevarant, aut de his parum constare dixerant. Admonitos deinde patres, videri prioribus senatus judiciis quodammodo jam damnatos esse conjuratos, respicere jubet, de qua re haec a se instituta [1]) sit relatio: se enim, quum res jam non sit integra, tanquam integrum retulisse, [2]) et de facto et de poena quid censerent; consulari tamen se jure utentem postulare, ut ante noctem de utroque statuerent. [3])

---

[1]) Fuere, qui prius factae relationis in hac oratione desiderarent mentionem (Ahrens p. 78), qui nisi forte censent instituere idem esse, quod constituere, hoc loco paullo magis festinarunt.

[2]) Schnitzero et Bæumleinio videtur Cicero hac oratione habita de integro omnes senatores rogasse sententiam: Z. f. Alterth. 1838. I, 76: ego, ut concedam, esse illud, quod volunt, de integro referre; tamen tanquam integrum referre idem significare, non dederim. Argumento mihi est Cic. ad Att. 12, 21: quod antequam consulerem, ipse judicaverim: qui aliquam illis viris creat molestiam; bene autem habet, si nihil nisi paullo immutatis verbis repetit, quae dixerat.

[3]) Haec verba quid sibi vellent, mihi videntur parum perspexisse, qui negarunt, hanc orationem a Cicerone compositam, quod non videretur esse referentis, sententiis dicendis longiorem inserere orationem. In ipsa enim rerum natura positum est, ut qui referat postulare possit, ut de ea re, quam protulerit, nunc in

§. 6. Jam, [1]) quae huc usque dictae sint sententiae Silani [2]) et Caesaris exponit causasque, cur ita censuerint, subjungit. §. 7, 8.

Jam apparet, has duas partes arctissime inter se cohaerere et quum prior quid in judicando non sit sequendum ostendat, alteram ad strenue et fortiter judicandum cohortari. Priusquam tamen ad tertiam progrediamur partem, illud moneamus lecturos, in eandem oratorem disseruisse sententiam sub finem orationis, ut ad strenue capessendam rem publicam senatores cohortaretur, sui rationem habendam negaret, et hac in re versari duas hujus orationis partes extremas. Similis igitur hujus orationis comparatio erit periodo illi, cujus finem Dissenius [3]) redire dicit ad initium. Quod si quando in ipsa parte prima alicujus sermonis summa orationis versatur, egregie ita factum esse apparebit. Quod contra eos monuisse velim, qui hac in re foedam sibi videbuntur Ciceronisque copia dicendi plane indignam deprehendisse tautologiam. Sed ne multa, ad ipsas partes postremas examinandas pergamus.

---

sententiam eatur. Hic mos in omnibus, quae nunc habentur, consiliis publicis servatur, ut invito eo, qui de re aliqua retulit, non possit res differri, nam quod in Anglia usu venit, postulare, ut in alium diem rejiciatur, id jam plane diversum est. Quare si Cicero timebat, ne quis dicendo diem eximeret, aut Tib. Neronis amplecteretur sententiam, qui postulaverat ut praesidiis additis de hac re referretur, non poterat, sed jam debebat Cicero ei concedere, aut oratione negare, se id facturum. Recte igitur mihi Bæumlein hoc loco allato eos videtur refellere, qui ob neglectam Tib. Neronis sententiam a Cicerone hanc orationem abjudicarunt. Z. f. Alterth. p. 72.

[1]) Hoc loco Schnitzero manca et debilis visa est: secus censet Bæumlein, cui assentior. Laesit virum doctum procul dubio, quod deest particula, quae haec duo membra conjungat: quod si nos in iis, quae praecedunt, summam totius orationis conspici recte censuimus, non male, opinor, hoc se habebit asyndeton.

[2]) Quibus verbis Cicero ad explicandam Silani sententiam utitur, ea mihi a Silano non videntur esse profecta. Brevius ille et obscurius mihi videtur dixisse, magis fortasse in universum: Extremo eos sibi videri supplicio dignos. Neque enim praeterea potuisset, quod refert Suet. Caes. c. 14, Plut. Cic. 21, Sall. Catil. 51, interpretatione eam lenire.

[3]) Dissen. ad Pind. Pyth. XI., p. 341: „Notabis vero pulchre circumductae orationis formam, cujus haec lex est, ut posita in principio sententia redeat amplior in fine interposita alia illustrationi inserviente,“ seqq. Nem. VIII. 478, Demosth. pr. corona p. 157.

Paragrapho duodevicesima eos, ne desint populo Romano, admonitos, quid ad strenue agendum eos cohortari debeat, exponit: deorum, quae consulem servaverit benevolentiam, communem omnium ordinum voluntatem, patriae preces, conjugum liberorumque periculum. Quantae deinde ad id perficiendum datae sint copiae, admonet §. 19, dux ipsis deditus, omnium deinde ordinum consensus, quibus rebus illis eam injectam esse alacritatem, qua ipsum paene praecurrerent. [1])

Tum §. 20 ad se ipsum reversus, se inimicorum non metuere numerum, affirmat, sed, ut isti aliquando plus valerent, nunquam tamen fore, ut hujus se facti poeniteat; se summa jam laude potitum, summorum virorum attingere gloriam. §. 21. Magnum quidem sibi in posterum propositum esse certamen, sed confidere, se ei parem fore §. 22. — Tum patribus pro his tantis suis laboribus suam commendat salutem, quae si minus defendi posset, filium ne destituerent §. 23 et fortissime adhortando, ut strenue sententiam dicerent, orationi finem imponit.

Vides in summa aequalitate summam harum partium dissimilitudinem: utraque in duo membra dividitur, quorum prius partis primae §. 1—3 posteriori partis extremae §. 20—23 per chiasmum quendam, quem dicunt, respondet, ita ut media eodem modo inter se conveniant. Sed in prima parte se perversa timere prae se fert, in extrema se laetissima quaeque sperare; prima flebilem quandam amicorum ipsum circumsedentium respicit orationem, extrema laetissima quaeque auguratur; illa, quos dolores tulerit, hac, quae praemia speret, ostendit; prima denique pars ad excusandum minus gnavum amicorum animum, postrema ad fortitudinem et magnitudinem animi omnibus addendam egregie est composita.

Simili vinculo inter se continentur prioris partis membrum posterius §. 4—8 cum posterioris priori §. 18, 19. Utrumque in ipsa relatione versatur, sed diverso tamen modo. Prius causam proponit, consulis deinde subjungit postulationem, ut illico dicantur sententiae, posterius fortiter dicendi adminicula demonstrat; illud ad severitatem et gravitatem revocat, hoc aculeos animo subdit; acute in illo, presse, graviter et constanter dixit, in hoc animose, fortiter, sui oblitus, rei publicae memor.

---

[1]) Apparet ex his, plures jam fortiter dixisse; quod novo est testimonio, non statim post Caesarem hanc orationem esse habitam.

Superest, ut, quid mediis contineatur partibus, exponamus, qua in re possumus esse breviores. Tribus eam contineri membris, jam prius significatum est: versantur autem omnia in removendis quibusdam libere et confidenter dicendi impedimentis. Et primo quidem loco ipsius Caesaris et sententia et argumentis ita utitur Cicero, ut illam removeat dubitationem, senatum non esse consulendum de ea re, quae ex lege Sempronia sit judicanda; qua in re callide simul et caute versatum esse Ciceronem, non est, quod ego moneam.[1]) A sua enim utilitate spernenda profectus ad Caesaris pergit laudes, quas ejus opponat auctoritati, quem istius opinionis dicit patrocinium suscepisse. (Num forte Crassum significat?) Ita hujus sententiae molestiam a se rejicit, Caesari tribuit, ejusque suam causam sublevat aura populari. Altera deinde pars c. 6 amolitur incommodum nimiae severitatis judicium, quod tum argumentis tum exemplis confundit et perdit: postremo loco se vocibus quorumdam orator, quae in senatu jacerentur,[2]) admonitum esse, qui prae se ferrent, se vereri, ut satis Ciceroni esset virium ad Silani sententiam ratam faciendam. Omnia provisa ostendit c. 7 et 8, omnes huic causae favere ordines, equites, cives, libertinos, qui obsint et impugnent esse singulos a communi causa sejunctos. Omnia vides bene, apte, concinne composita.

Jam ad extremum oratio mea vergit argumentum, neglectam a Sallustio hanc Ciceronis orationem, nam quod de parum Ciceronianis dictis prius censebam, illud jam nihil est. Illa enim ipsa maxime, quibus ex historia explicatio erat petenda, Cicerone indigna judicabam.

Superesse quidem video non pauca, quae insolentius dicta videantur, interpretis officium efflagitent, neque tamen ea, quae ad hanc orationem Ciceroni abjudicandam valere possint. Qua in re minime mihi negligendum videtur, conscriptam esse hanc orationem a Cicerone, quum floreret gratia, auctoritate, amore denique omnium; quin, quod vir doctissimus, mihi inter praeceptores pie colendus, B. G. Niebuhr de oratione pro Murena dixit, exsultantem mihi videor videre in hac oratione Ciceronem rei bene gestae gloriaeque partae conscientia. Quod quantum valuerit ad dicendi genus, a nemine est exploratum. Deinde, quod in aliis scriptoribus factum, ut interesse aliquantum statuatur inter id genus dicendi,

---

[1]) Optime de his rebus dixit Bäumlein. Zeitschr. f. Alterth. I, p. 77.

[2]) Haeccine est, quae saepius commemoratur admurmuratio, an recte censeo Neronem significari?

quo florentes usi sint et ea opera, quae aut juvenes aut maturiore aetate condiderint, id in Cicerone neglectum doleo. Nam, qui viribus pollent, multo magis ad novas dicendi vias sibi aperiendas solent esse propensi, quod quantopere cadat in Ciceronem, videant alii. Ego vero mihi videor in hac oratione luculentum deprehendisse hujus rei exemplum, singularem dico modum, quo consulatum suum ad salutem rei publicae prope fatalem dicit exstitisse, et satis idoneum praebere posse argumentum, innovatae hunc usum deberi rationi dicendi. In epistola enim ad Atticum II, 1 dicit: Fuit enim mihi commodum, quod in orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo dicendi genere abjunxerat, ut *σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος* videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares vocarentur. [1]) Nonne aperte profitetur, se in his orationibus dixisse, quod aliquanto majus quiddam et augustius sonaret? Hoccine nihil valet ad verborum usum? Sed pudore prohibitus meo et his arctioribus libelli finibus constrictus, hac disputatione abstineo, doctioribus illa relinquens expendenda.

Agedum Sallustius nihil de Ciceronis oratione habita dicit, quod debebat, si ea vere est habita. At Plutarchus dicit (Cic. 21), at Cicero Ep. ad Att. XII, 21; auctores jam auctori opponamus, an est qui horum spernat auctoritatem? Quod si quis faciat, is mihi concedat, ut unam rem non magnam ab eo quaeram; demonstret, debuisse Sallustium hujus orationis mentionem injicere. „Qui potuit, inquit, facere, ut omitteret eum, qui primus sententiae auctor fuerat, posteriorem aliquem commemoraret et ad hunc omnem ejus honorem deferret? Hoccine est malevole factum, haeccine ultima est calumnia?“ Non potuit, si quidem illa oratione sententiam dixit Cicero, sed referentis est, rogare sententias, non dicere. Neque Cicero dixit sententiam, ubi tandem? num quod

---

[1]) Orellium video, dum eam, quam Ahrens V. D. propinaverat, sequitur sententiam, spuriam esse hanc orationem, eo deductum esse, ut insititium judicaret hunc epistolae locum, quod haud scio an optimo sit argumento, quantum sit, de ea dubitare. Nihil mihi arrogo, sed mihi haec via eo deducere videtur, ut abjudicetur a Cicerone oratio Philippica altera; siquidem in hac sola poterit consistere. Contra ea, quae adversus hanc epistolae partem praeterea attulit argumenta vir doctissimus, refractariolus, se abjungere, invulgarunt esse *ἅπαξ λεγόμενα*, bene mihi videtur dixisse cum Schnitzero Baeumlein. Zeit. f. Alterth. I., 75.

Silani praefert aperte sententiam? qui poterat ita referre, ut incerti essent, qui sententias dicerent, in utram partem consul magis inclinaret? Ex sua si facturus erat sententia, quid attinebat, senatum haberi? Judicasse ipse Cicero contendit, sententiam se dixisse nusquam. Sed summis eum, qui talia quaerit, implicari videmus difficultatibus; cur enim, ipse jam dicat, cur tandem Catulum, cur reliquos consulares neglexit Sallustius? Sed promtum est responsum, quoniam in Catonis sententiam factum erat senatusconsultum, quam rem jam Bruto videmus fraudi fuisse, ita ut plane ignoraret, quid Cicero, quid consulares dixissent. Senatusconsultum autem in Catonis verba factum, quod ille uberrime, luculentissime et acerrime dixerat. Paullo minus, opinor, urget, sed jam ille mihi respondeat velim, nonne potuerit Sallustius huic supersedere negotio, si iis, quae Cicero sibi probari significavit magis, quam dixit, nihil actum est? Si, nisi Catonis virtus et constantia succurrisset, haec, quae vicit causa, cecidisset? Ad Catonem tum non erat deferenda gloria? Testem tibi dabo, ita rem se habuisse, ut mihi quidem videtur, idoneum, Plutarchum dico, qui in vita Ciceronis ita dicit: *Οὔσης δὲ τῆς γνώμης (τῆς τοῦ Καίσαρος) ἐπιεικοῦς καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δυνατωτάτου, ῥοπὴν ὁ Κικέρων προσέθηκεν οὐ μικράν, (αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ Καίσαρος γνώμῃ συνειπών· οἵ τε φίλοι πάντες οἰόμενοι τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην — ᾑροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην), ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν αὖθις μεταβαλλόμενον παραιτεῖσθαι καὶ λέγειν ὡς οὐδ' αὐτὸς εἴποι θανατικὴν γνώμην· ἐσχάτην γὰρ ἀνδρὶ βουλευτῇ Ῥωμαίων εἶναι δίκην δεσμωτήριον.*[1] *Εἰρημένης δὲ τῆς γνώμης πρῶτος ἀντέκρουσεν αὐτῇ Κάτλος Λουτάτιος· εἶτα δεξάμενος Κάτων —*

[1]) Id ipsum dicit Suetonius Caes. 14: sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire studuit. Jam prius dixi, mihi Silanum videri brevius et obscurius de poenae genere dixisse, quam sententiam quum Cicero ita interpretatus esset, ut eum in hac oratione fecisse videmus, facere non poterat, quin, si ipsi in animo erat, interpretando eam lenire, hoc proferret, ubi primum Cicero dicendi fecerat finem. Id ipsum autem videtur mihi dicere Plutarchus *ῥοπὴν ὁ Κικέρων προσέθηκεν οὐ μικρὰν — ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν — παραιτεῖσθαι.* Quod si statuas, iniquissima haec oratio usa est fortuna; quem enim ille hominibus proposuerat ducem, quem sequerentur, is foede retractavit et recepit, (num forte idem fecerunt M. Glabrio et Murena, quos cum Silano ad Att. XII, 21 a reliquis, qui fortissime dixissent, consularibus sejunxit?) Accedet

ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον. Verba illa *ῥοπὴν προςέθηκεν ὁ Κικέρων* videntur luculentissime declarare, plane in contrariam partem, ac ipse voluerat, Ciceronis vertisse consilium ipsumque Silanum a sua defecisse sententia magistratusque designatos, si fidem Plutarcho habeas, omnes. Qui quum dicat *οἱ φίλοι πάντες*, mihi videtur non ad hos solos respicere, sed ad ose etiam, qui priusquam Cicero dixerat ad Caesarem defecerant.

Addere licet his, quae diximus de Sallustii silentio: interesse inter eum, qui vitam, et eum, qui historiam scribere in animum induxerit; alteri esse commemorandum, quod alter negligere possit, neque ipsis historicis idem esse consilium, quo fiat, ut in singulis rebus commemorandis mirum quantum inter historicos intersit. Qua de causa in judicium vocandum est, quid in historia scribenda Sallustius maxime secutus sit, inde demum colligi poterit, cur Ciceronis orationem oblivioni vellet traditam, ni ea res justo nos longius a proposito avocaret.[1])

Jam, si placet, quid egerimus, colligamus; quid effecerimus, alii videbunt. Demonstratum arbitror, agnosci a Cicerone orationem Nonis Decembribus habitam in senatu, agnosci hujus oratonis argumentum, afferri in compluribus orationibus quaedam in ea dicta. Sallustius poterat in oratione Caesaris, qui senatum moverat, et Catonis, in cujus sententiam factum est S. C., se continere. Plutarchus non habitam modo tradit, verum ipsum argumentum optime describit. Prima orationis pars postulat sibi quidem a rerum enarratione lucem quandam, quam ab omni parte ei affundere vix licebit; sed, ut sint quaedam paullo obscuriora, neutiquam abhorret a Ciceronis ingenio, conditione, dignitate: dicendi in ea conspicitur et subtilitas et gravitas, sentiendi autem et honestas et constantia tanta, ut vel maxime eum deceat. Ipsa autem orationis membra non disjecta et dispersa, sed egregie et comparata et composita: denique, dicendum enim quod sentio, haec oratio, si minus ex his omnibus est pulcherrima, proxime tamen mihi ad hanc laudem videtur accedere. Jam, si perfecimus, quod nobis propositum erat, minus multi de ea dubitabunt; sin, quae humanarum est rerum conditio, ne ab his quidem error aberit, utinam aliquantum me ad verum inveniendum valuisse liceat tamen sperare.

---

autem hinc non parvum momentum Catonis orationi, quod, quum ipse non haberet Silanum, quem sequeretur, auctorem, ipse auctor exstitit.

1) Multo uberius de hoc Sallustii silentio video dixisse Ahrensium et Schnitzerum.